

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. VIII - N. 1

1976

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1976

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio

Ad Praelatos Auditores, Advocatos et Officiales Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos	3
---	---

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Declaratio de quibusdam quaestionibus ad sexualem ethicam spectantibus	8
--	---

ACTA COMMISSIONIS

Coetuum studiorum labores

1. Coetus de Sacra Hierarchia	23
2. Coetus de Matrimonio	32

Notitiae	74
--------------------	----

Acta Commissionis

COETUUM STUDIORUM LABORES*

I

COETUS DE SACRA HIERARCHIA

De paroeciis et de parochis

Qui in Codice Iuris Canonici de parochis habentur canones (cann. 451-470) pluries recogniti sunt a Coetu studiorum, cuius est de clericis atque de S. Hierarchia normas proponere.

In iisdem normis imprimis ratio habita est eorum quae in Concilio Vaticano II de paroecia et de parochis statuta sunt.¹ Praeterea autem uti possibilis proponitur nova figura, vi cuius paroeciae cura committi potest sive uni sacerdoti, paroeciae parocho, sive alicui coetui sacerdotum seu sic dictae *équipe* sacerdotum, quibus nempe coniunctis cura pastoralis concreditur paroeciae, immo vel diversarum insimul paroeciarum. Remanet quidem regula generalis, vi cuius uni sacerdoti concredi debet paroeciae cura pastoralis. Attamen, exceptionis gratia, ubi rationes pastorales id requirant, haec cura committi posset diversis insimul sacerdotibus, qui in solidum obligationibus parocho propriis tenentur. Hoc vero in casu, ut unitas in actione et paroeciae regimine habeatur, omnino requiritur ut unus eorum sacerdotum sic dictam *équipe* constituentium, sit huius coetus moderator seu director responsabilis, qui nempe actionem coniunctam dirigat et de ea coram Episcopo dioecesano respondeat.

De ipsa paroecia inde proponitur notio quae sequitur: est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parocho, aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut horum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

* Quae sub hac rubrica recensentur communicationes nullam, ut pluries dictum est, vim legis obtinent, sed ea tantum referunt quae a coetibus studiorum examinata sunt ut novus Codex pararetur.

¹ Cf. praesertim Decr. *Christus Dominus*, n. 30.

Hodiernis tamen in adjunctis, cum in non paucis regionibus penuria sit sacerdotum, haberi potest impossibilitas ut singulis paroeciis nominetur parochus. Hisce in casibus animarum curae alio modo providendum est. Possunt duae vel tres paroeciae aequae principaliter uniri, ita quidem ut unus et idem pro diversis constituatur parochus. Potest etiam pro diversis insimul paroeciis coetus constitui sacerdotum, qui coniuncti earum curam habent. Immo, si talis sit penuria ut nec hoc fieri possit, haberi potest necessitas ut quaedam participatio in exercitio curae pastoralis concredatur alicui personae quae sacerdotali charactere non sit insignita aut alicui communitati personarum. Hoc tamen in casu necesse est ut constituatur sacerdos qui eandem curam pastoralem ut proprius pastor moderetur et qui potestate parocho propria gaudeat.

De paroeciis etiam regula statuitur generalis ut sint territoriales, quae scilicet complectantur omnes christifideles in certo territorio habitantes. Si tamen, de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, id expediat, constitui possunt paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae.²

De parochis proponuntur normae itemque *de coetu sacerdotum*, quibus coniunctis cura paroeciae aut diversarum paroeciarum committitur. In hac vero relatione, claritatis causa, separantur normae quae parochos singulos respiciunt atque normae quae ad coetus attinent sacerdotum quibus coniunctim animarum cura concreditur pro una vel pro diversis insimul paroeciis.

Normae propositae de parochis singulis

1. *Notio parochi.* Definitur parochus verbis quae sequuntur: est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastorali populi sibi concredi defungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eodem populo munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

Parocho autem aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus, sa-

² Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 32; PAULUS PP. VI, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21, § 3.

cerdos qui, ad normam iuris particularis, curam pastoralem paroeciae exercet vacante paroecia, sicut et sacerdos qui, secundum iuris praescripta, parochi impediti aut absentis locum tenet. Item parocho aequi-paratur, iis tamen exclusis quae iure vel universalis vel particulari excipiuntur, vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur.

Secundum ius recognitum quod proponitur, *persona iuridica* seu moralis non potest esse parochus. In iure Codicis Iuris Canonici (can. 452) potest, de indulto Apostolicae Sedis, paroecia personae morali uniri, ita ut ipsam persona iuridica sit parochus. Regula autem iuris recogniti est ut sola persona physica possit esse parochus.³ Hac autem norma non impeditur quominus quaedam paroecia alicui Instituto vitae consecratae aut Societati clericorum committatur, sed id ea tantum lege fieri potest ut unus sacerdos sit paroeciae parochus, aut, si pluribus insimul committatur, Moderator.⁴

Ad *qualitates requisitas* ut quis sit parochus quod attinet, imprimis, non secus ac in Codice Iuris Canonici, can. 453, § 1, statuitur ad validitatem constitutionis requiri ut sit in sacro presbyteratus ordine constitutus. Ut enim quis animarum curam in paroecia assumere valeat, requiritur sit sacerdos. Diaconus ergo non potest valide nominari parochus. Praeterea, aliae necessariae sunt qualitates, uti in Codice, can. 453, § 2, statuitur. Vi huius normae recognitae, necesse est ut sit doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo, spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universalis sive particulari requiruntur.

2. *Provisio officii parochi.* Regula est quod uni Episcopo dioecesano competit parochum nominare aut instituere (casu quo eum presentat Moderator Instituti vitae consecratae aut societatis clericorum). Eundem non potest nominare aut instituere Vicarius generalis aut epi-

³ Cf. PAULUS PP. VI, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21 § 2, ubi haec regula statuitur de Capitulis canoniconum: « Paroeciae ne amplius uniantur pleno iure Capitulis canoniconum ».

⁴ Cf. PAULUS PP. VI, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33 § 1. Norma huius § 1, quae in iure recognito recipitur, est haec quae sequitur: « Ordinarius loci auctoritate propria potest, de consensu competentis Superioris, paroeciam religioso Instituto committere, etiam in ecclesia religiosa ipsius Instituti eam erigendo. Haec paroeciae commissio potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus: in utroque casu id fieri debet mediante conventione scripta inter Ordinarium et competentem Superiorum Instituti, qua, inter alia, expresse et accurate indicentur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant ».

scopalis, sine speciali mandato. Nec eum nominare aut instituere potest Administrator dioecesanus, scilicet qui vacante sede ad interim dioecesim regit, nisi tamen sedes ab anno vacaverit aut impedita sit. Episcopus autem dioecesanus rationem habere debet necessitatum pastoralium paroeciae, et ut hoc facere possit, *debet* consulere vicarium foraneum atque, si id opportunum duxerit, *potest* audire, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam in paroecia de qua agitur exercendam, certos alias presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

Episcopus dioecesanus, qui ergo libere nominat aut instituit parochos, obligatione tenetur nominandi aut instituendi illum, quem, omnibus perpensis adjunctis, idoneum aestimet ad paroeciale curam in paroecia de qua agitur implendam. Praeterea, — regula generalis hic statuitur — ut quis ad officium parochi promoveatur, oportet ut, modo ab Episcopo dioecesano definito, studia frequentaverit de doctrina christiana deque muneribus parocho propriis, atque per examen cui subiicitur de eius habilitate ad hoc officium implendum habeatur probatio, nisi tamen in casu particulari de eiusdem habilitate aliunde constet.

Parochus qui nominatur aut instituitur, regula generali, scilicet secundum iuris universalis praescriptum, ad indeterminatum tempus nominatur vel instituitur. Potest tamen nominari ad tempus determinatum, v. g. ad quinquennium, ubi decreto Episcoporum Conferentiae regionis id Episcopo dioecesano permittitur.

Qui nominatur aut instituitur parochus, curam paroeciale obtinet tantum a momento quo, modo iure particulari praescripto vel consuetudine recepto, possessionem paroeciae ceperit. Potest quidem Ordinarius, iusta de causa, ab hac possessionis captione dispensare, et eo in casu dispensatio, paroeciae quidem communicata, locum tenet captae possessionis.

3. *Parochi officia.* Imprimis generalibus verbis agitur de parochi officiis docendi, sanctificandi et regendi, ratione habita praesertim eorum quae a Concilio Vaticano statuta sunt. Deinde de aliquibus peculiaribus eiusdem obligationibus agitur, praesertim scilicet de eius obligatione residentiae, de obligatione applicandi Missam pro populo et de obligatione habendi, conscribendi et servandi libros paroeciales.

Officii docendi rationale, obligatione tenetur providendi ut omnibus in paroecia degentibus integrum annuntietur verbum Dei utque christifideles edoceantur in fidei veritatibus, variis modis, praesertim homilia et catechetica institutione; curare etiam tenetur ut nuntius evange-

licus ad eos perveniat qui a religione colenda recesserunt aut veram fidem non profitentur.

Officii sanctificandi ratione, praeprimis consulere debet ut Eucharistica celebratio revera centrum sit congregationis fidelium paroecialis et ut christifideles ad Sacraenta SS. Eucharistiae et paenitentiae frequenter accedant, itemque ut actuose partem habeant in Sacra Liturgia; Liturgiam in sua paroecia ipse parochus sub auctoritate Episcopi dioecesani, moderetur, et invigilare debet ne abusus in eadem irrepant.

Officii regendi ratione, curare tenetur, consociata quidem cum cooperatoribus opera, ut vitae christianaee incrementum foveatur, etiam in familiis, in consociationibus, necnon in universa paroeciali communitate; domos visitet; provideat ut iuvenum adolescentumque peculiaris habeatur cura, praesertim in scholis; adlaboret ut promoteantur apostolatus opera necnon incepta ad unitatem inter christianos fovendam. Peculiarem etiam habeat diligentiam erga tenuiores et pauperes, erga infirmos et provideat ne cura pastoralis deficiat migrantibus, peregrinis et itinerantibus.

Functiones etiam definiuntur quae *ab ipso parocho* implendae sunt, et quae ideo ab aliis nonnisi ipso consentiente adimpleri possunt. Sunt illae functiones quae in Codice Iuris Canonici, can. 462 parocho reservatae dicuntur, quae vero in textu recognito proponuntur ut peculiari modo ad officium parochi pertinentes.

Statuitur tandem etiam in omnibus negotiis iuridicis parochum personam gerere paroeciae, ad normam iuris.

Ad *obligationem residentiae* quod attinet, servatur ut regula principium can. 465, § 1 Codicis Iuris Canonici, vi cuius parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam. Attamen, exceptionis causa, si iusta adsit causa, potest loci Ordinarius permettere ut parochus alibi commoretur, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communii, dummodo tamen paroecialium perfctioni munerum debite provisum sit. Obligatio autem residentiae non impedit quominus parochus a paroecia abesse possit vacationis causa. Regula communis proponitur, vi cuius, vacationis causa, quotannis per unum mensem a paroecia abesse possit. Cum vero ultra hebdomadam a paroecia absit, tenetur loci Ordinarium monere. Episcopi vero dioecesani est normas statuere quibus prospiciatur ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae, et quidem per sacerdotem debitum facultatibus gaudentem.

Ad *obligationem Missam pro populo applicandi* quod spectat, retinentur quoad substantiam normae Codicis Iuris Canonici, normae sci-

licet quae habentur in can. 466, quae vero ad simpliciorem rediguntur formam.

De obligatione habendi, consribendi et asservandi *libros paroeciales*, sicut et de obligatione habendi *tabularium seu archivum* paroeciale, similiter servantur quoad substantiam normae Codicis, scilicet can. 470. Aptantur quidem eadem normae. Ita, in § 2 statuitur in libro baptizatorum adnotanda esse confirmationem et omnia quae ad statum canonicum christifidelium pertinent, ratione scilicet matrimonii, ratione adoptionis, ratione suscepti ordinis sacri, professionis in Instituto vitae consecratae emissae, ratione etiam mutati ritus. Quae omnia in documento accepti baptismatis sunt referenda. Tandem etiam notatur obligatio habendi sigillum paroeciale et regula est quod hoc sigillo muniri debent testimonia quae de statu canonico christifidelium dantur sicuti et omnia acta quae momentum iuridicum habere possunt.

4. *Cessatio ab officio*. Tandem denique normae proponuntur de cessatione ab officio parochi.

Regula generalis imprimis enuntiatur, vi cuius ab officio cessat parochus amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, item renuntiatione iusta de causa ab ipso parocho facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, atque tandem lapsu temporis, casu tantum quo iuxta iuris particularis praescripta parochus ad certum tempus constitutus fuit. Specialis sequitur regula de amotione parochi qui est sodalis Instituti vitae consecratae aut societatis clericorum: talem parochum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Moderatore Instituti aut societatis clericorum, et eundem amovere debet idem Episcopus, id requirente eodem Moderatore Instituti aut societatis, qui quidem non tenet rationem sui iudicij Episcopo aperire. Tandem nova enuntiatur regula, vi cuius parochus, expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibere debet Episcopo dioecesano, qui, omnibus personae et loci inspectis adjunctis, de eadem acceptanda vel differenda decernat.⁵

5. *Provisio curae paroecialis, paroecia vacante aut parocho impedito*. Regula imprimis traditur de constitutione administratoris paroecialis, et alia subsequitur norma de provisione curae paroecialis ante constitutionem administratoris paroecialis.

1. Constitutio administratoris paroecialis ab Ordinario curanda est non tantum cum vacat paroecia, sed etiam cum parochus, ratione capti-

⁵ Cf. Decretum *Christus Dominus*, n. 31; PAULUS PP. VI, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 20, § 3.

vitatis vel relegationis, inhabilitatis aut infirmae valetudinis aliave gravi causa a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur; item constitui potest talis administrator paroecialis, casu quo parochi absentia ultra mensem sit duratura.

Munus huius administratoris paroecialis necnon potestates quibus gaudet, diversa sunt secundum rationes constitutionis: si constituitur quia vacat paroecia aut quia prorsus impeditus est parochus a munere implendo, administrator paroecialis omnibus adstringitur officiis et gaudet iuribus ac parochus; si vero constituitur in adiutorium parochi, qui pro parte tantum a munere explendo impeditur, administrator paroecialis iis tantum adstringitur obligationibus et gaudet iuribus quae in actu eius constitutionis definiuntur. Quidquid vero sit, nihil agere potest administrator paroecialis, quod praeiudicium afferre iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

2. Antequam constituatur administrator paroecialis, curae paroeciae providetur modo qui sequitur. Si adest in paroecia vicarius paroecialis, regimen paroeciae ipse assumit, et, si plures habentur, illud assumit vicarius nominatione antiquior. Si autem deficit vicarius paroecialis, curam paroeciae eiusque regimen assumit parochus iure particulari qui determinatur.

Normae propositae de coetu sacerdotum

Agitur modo de normis propositis pro casu quo nova admittitur figura, iuxta quam alicuius paroeciae aut diversarum paroeciarum cura committitur diversis insimul sacerdotibus, seu sic dictae *équipe* sacerdotum.

Ante omnia, uti iam dictum est, prae oculis haberi debet nullum constitui posse sacerdotum coetum cum animarum cura, nisi eorundem aliquis sit coniunctae actionis pastoralis Moderator, qui scilicet eorundem coniunctam operam dirigat et de ea coram Episcopo dioecesano respondeat.

Tractandae modo sunt quaestiones, quae de parochis singulis iam posita sunt, scilicet quaestiones quae ad eorundem sacerdotum necnon Moderatoris officii provisionem, eorundem officia, cessationem ab officio aliaque problemata attinent.

1. *Notio coetus sacerdotum.* De eadem iam supra modo sufficienti tractatum est. Haec autem, claritatis causa, sublineari debent. Talis sacerdotum coetus non ut persona moralis seu iuridica curam animarum in aliqua paroecia aut in diversis paroeciis habet. Ceterum talis coetus

non est persona iuridica. Sunt ergo singuli sacerdotes, qui autem insimul seu coniuncti eandem curam assumunt, in solidum officiis, saltem plerisque officiis parocho propriis obligati necnon certis eiusdem praerogativis gaudentes. Ipsi insimul incumbit in paroecia aut paroeciis quae ipsis committuntur cura pastoralis. Attamen eorundem unus communem seu coniunctam actionem dirigit et est de eiusdem persona responsabilis.

2. *Provisio eorundem officii.* De eorundem officii provisione eadem valet norma quae de parochis viget, scilicet uni Episcopo dioecesano competit ius nominandi et instituendi omnes sacerdotes, ut membra seu sodales talis coetus, quibus nempe in solidum paroeciae aut paroeciarum cura committitur. Item uni Episcopo dioecesano competit nominare aut instituere talis sacerdotum coetus Moderatorem.

Ad qualitates requisitas quod attinet ut quis uti membrum talis coetus nominetur aut instituatur, valent quoque normae quae de ipsis parochis proponuntur.

Curam paroeciae aut paroeciarum revera et ipsi sacerdotes talis coetus obtinent tantum a momento captae possessionis, ante quam aut in qua et ipsi fidei professionem edere debent. Ad modum quo in possessionem mittuntur quod spectat, normae enuntiantur quae sequuntur: Coetus Moderatorum, non secus ac parochos singulos, in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; pro ceteris autem sacerdotibus quibus, ducente Moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

3. *Officia Moderatoris necnon sacerdotum qui coetum constituunt.* Regula generalis est quod sacerdotes omnes coetum constituentes in solidum tenentur officiis quae sunt propria parochis. In solidum itaque tenentur officiis docendi, sanctificandi et regendi, uti supra, de parochis singulis, definita sunt. In solidum etiam obligantur ad implendas functiones quae ab ipso parocho sunt explendae et quae ab aliis, consentiente tantum parocho, impleri possunt. Attamen ab ipso coetu sacerdotum, sub ductu Moderatoris, determinari debet quaenam officia et quaenam functiones a singulis coetus sacerdotibus persolvenda sint. Quibusnam itaque in concreto officiis pastoralibus parocho propriis singuli teneantur, ordinatione ab ipsis, sub ductu Moderatoris, stabilita definiendum est.

Verumtamen, soli Moderatori competunt tum potestas ordinaria matrimonii in paroecia aut paroeciis assistendi tum facultates dispen-

sandi quae ipso iure parochis conceduntur. Unitas in actione necnon necessaria securitas iuridica id exigunt. Curare autem debet Moderator ut eadem potestates rite in bonum animarum exerceri valeant, et ideo, per oportunas delegationes, providere debet idem Moderator ut singuli coetus sacerdotes exercitium harum potestatum participant, prout animarum cura id exigat.

Obligatione residentiae, uti de parocho statuta est, similiter tenentur omnes coetus sacerdotes.

Ad obligationem *Missam pro populo* applicandi quod attinet, eadem similiter omnes coetus sacerdotes tenentur, sed eorum unus tantum eandem implere debet; ordinatione ab ipso coetu, ducente Moderatore stabilita, definitur quisnam eorum ad hanc obligationem in concreto implendam tenetur.

Ad *libros paroeciales* habendos, conscribendos et servandos obligatur solus coetus Moderator, qui solus etiam in omnibus negotiis iuridicis personam gerit paroeciae aut paroeciarum coetui commissarum.

4. *Cessatio ab officio*. De cessatione ab officio regulae valent quae de eadem pro parochis singulis statuuntur. Itaque, unusquisque sacerdos, qui membrum est coetus sacerdotum cui cura animarum commissa est, ab hoc officio cessare potest amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, item renuntiatione iusta de causa ab ipso sacerdote facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, casu quo ad normam iuris particularis ad tempus determinatum constitutus est membrum talis coetus. Pariter tenetur eorundem unusquisque, expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio Episcopo dioecesano exhibere.

5. *Provisio curae paroeciali, resoluto iure Moderatoris aut eodem impedito*. Cum resolvatur ius Moderatoris, aut cum Moderator inhabilis fiat ad hoc munus suum adimplendum, non vacat paroecia vel non vacant paroeciae quarum cura coetui sacerdotum committitur. Episcopi dioecesani in tali casu est alium Moderatorem coetus nominare. Antequam vero aliis in sacerdotum coetu constituatur ab Episcopo Moderator, hoc munus adimplebit eiusdem coetus sacerdos aetate provectior (W. Onclin, *Relator*).

